

kat.komp.
15036
III | | P

Z B I O R druków procesowych z XVIII. i XIX. w.

Tom II.

Nr. 1.	Elsner i Wisogierdowie r.1782.	szt. 1.
" 2.	Froelichowie r.1799.	" 3.
" 3.	Goldynga r. 1765.	" 2.
" 4.	Grabowski i Siebeń etc r,1799.	" 1.
" 5.	Grabowscy r. 1799.	" 2.
" 6.	de Grothuz i Piotr Książę kurlandz.r.1779	" 1.
" 7.	Grużyński i Podberescy r. 1799.	" 3.
" 8.	Haudring i Klüchzner r. 1779.	" 3.
" 9.	Haudringowie i Platerowie r. 1780.	" 2.
" 10.	Janowicz i Chodakowscy r. 1799.	" 1.
" 11.	Izraelowicz i Radowicki r. 1799.	" 2.
" 12.	Hryniewicz r. 1774.	" 1.
" 13.	Jezuici toruń. i Magistrat toruń. r. 1724.	" 3.
" 14.	Jasna Góra i Kłobuck r. 1790.	" 2.
" 15.	Jocz i Downarowicz r. 1800.	" 1.
" 16.	Kaczanowska i Brzozowski 1799.	" 1.
" 17.	Kalenkiewicz r. 1760.	" 1.

0

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

de jure Patronatg. tak Krakowa miasta o S. Sobestyan z Dzianottym



STATUS CAUSÆ

Pro

Generoso Ordine Equestri Districtus Goldingensis, uti Parte Appellante.

Contra

Nobiles, & spectabiles Pro-Consulem Consules, tùm Honestos Tribunos, totumque Magistratum & Communitatem Civitatis Goldingensis, uti Partem Citatam Appellatam.

TERMINUS ex Appellatione Ordinaria & ex Adcitatione.

CAUSA respectu asserti Juris compatronatûs, aliàs simultaneæ per Civitatem cum Nobilitate prætensæ præsentationis Parochi ad Ecclesiam Letticam Goldingensem.

CUM Nobilitas tota Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ sub multifariis, ac ferè sine intermissione durantibus belli sollicitudinibus, Jura sua observare, ac defendere non posset, tùnc temporis Civitas Goldingensis in Jus Ejusdem Nobilitatis compatronatûs ad Ecclesiam Letticam Goldingensem involaverat, quod ipsi de facili obvenerat, quando Ecclesia in Civitate extructa, & Nobilitas non solum á Civitate, sed etiàm à domibus suis villanis per multum temporis spatium aliena extitit.

Hinc est, quód aliquoties ab Anno 1700. non tamèn continùó, ad præsentia tempora Civitas junctim cum Nobilitate Parochum ad Ecclesiam Goldingensem præsentaverit.

Perspectîs tamèn Juribûs suîs circà ultimariam Vacationem Parochi Goldingensis ad præsentationem alterius Nobilitas Civitatem admittere noluit, quæ tamen circa possessionem per resolutionem Illustrissimi Ducis sub die 5ta Mensis Junii, Annô 1767. conservata, salvâ actione Nobilitati in petitorio, si Nobilitas Jus compatronatûs sibi soli competens evincere intenderit, vid: Resolutionem Ducis in Actis *fol: 496.*

Inhóätus est itaquè processus in petitorio in Judicio Aulico Ducali Curlandiæ, & post peremptam exceptionem fori ex parte Civitatis oppositam, non necessariâquè ad Judicium Spirituale remissione adinventâ, ulteriùs experimentum hacce in causa coram suó Judicio injunctum, in Actis. *fol. 37.*

Solidissimè itaquè posthac Nobilitas soli sibi Jus compatronatûs competens justificaverat in Actis *à fol. 88. ad fol. 130.*

Non attentîs tamèn rationibûs & documentîs Nobilitatis, prodiit in petitorio Judicii Aulici Ducalis sub Die 16. Mensis Januarii, Annô 1773. Sententia definitiva, quâ mediantè: Civitas ab actione Nobilitatis liberata, & circa asserta Jura sua compatronatûs conservata. *fol.* in Actis *234.*

Ab ejusmodi Decreto appellatum est ex parte Nobilitatis, ad Judicia Relationum propriarum Serenissimæ Majestatis Vestræ, quæ Appellatio est admissa, in Actis. *fol. 246.*

Adcitata quoquè est Civitas pro cassatione sæpe dicti Decreti Sum: Nro. 1.

Spem maximam ponit Nobilitas in Judicio Serenissimæ Majestatis Vestræ, Decretum Judicii Aulici Ducalis Curlandiæ non posse subsistere, quin satiùs ipso retractato, Civitatem Goldingensem à prætenso per ipsam Jure compatronatûs excludi debere, cum Soli Nobilitati Districtûs Goldingensis competat Jus compatronatûs ad Ecclesiam Letticam Goldingensem: Siquidem:

Recessus Rigensis in Actis *à fol: 515. ad fol. 520.* Anni 1567. à Duce Gotthardo gloriosæ memoriæ, atquè Nobilitate Curlandiæ, Semigalliæquè factus, paucitati Ecclesiarum atque Ecclesiastarum consulturus, habitâ ratione in quibus locis Ecclesiæ Scholæ, Nosocomiaquè erigi, ædificari, sustentariquè deberent, specialiter Civitatis Goldingensis, ibiquè extruendæ Ecclesiæ Parochialis mentionem facit, constituitquè ut ad unam quamquè Ecclesiam, Ædes Parochiales, terrave Ecclesiastica pro Ecclesiasta Germanico, sivè Lettico, nec non quædam casæ rusticæ ad paræciam illam pertinentes adjungerentur, atquè ædificarentur, qui recessus (cujus authentica à Civitate Goldinga nullatenùs in dubium vocatur) manifestò probat; Principi Nobilitatiquè dùmtaxat constructionem, fundationem atquè dotationem cùm aliarum Ecclesiarum, ædiumquè Parochialium, tùm Ecclesiæ Goldingensis, habitationisquè Parochialis curæ fuisse, ædemquè religioni dicatam, domumquè parochialem Goldingæ fundâsse, nec non dotâsse.

Unde Jus compatronatûs competit ipsimèt Nobilitati Diæcesis Goldingensis ad Ædem, quæ ab hac Diæcesi nomen sortitur, exclusa Civitate Goldingâ, quæ nequè Templum Goldingense construxit, nequè ad fundationem atquè dotationem quidquàm contulit.

Quin satiùs Acta Visitationis Ecclesiasticæ de Die 3tia Mensis Augusti Anni 1606. in Actis *à fol. 571. ad fol. 579.* testantur, quod Illustrissimus olim Dux Vilhelmus habitationem Parochialem Germanici Ecclesiastæ de novo ædificare, atquè conservare promisit, promissoquè stetit, Nobilitas vicissim atque Indigenæ Districtûs Goldingensis ædem pro lettis sivè Ecclesiastis suis sumptibus extrùere suceperunt, distributio materierum ac nummorum ad hanc structuram necessariorum in Nobilitatem solúm Districtûs Goldingensis, nullatenus verò in Civitatem facta, pecunias impositas Curatori Ecclesiæ è Nobilitate electo, sub executione adjudicandæ casæ rusticæ numerari placuit, locus construèndæ ædis Religioni destinatæ, àn in Campo S. Petri, vel Annæ arbitrio Principis commendatus, opifices à Nobilitate procurandos, operarios è quovis Prædio ad æquabilem partitionem mittendos, atquè pecunias, ni sufficerent á Nobilitate supplendas esse, sancitum est, Civitasquè ad amicam tantùm persvasionem, quod ædes extruenda in commodum quoquè domesticorum civitatensium vergeret, civitatiquè decori ornamentoqué esset, trabium cantheriorumquè pro contignatione advectionem, absquè ulla facta spe ulterioris adjumenti pollicita est, nec de Jure compatronatùs sibi vindicando minimè quid cogitavit.

Acta potiùs Visitationis Ecclesiasticæ Die 4tâ 8vâquè Martii Anno 1623. *à fol. 584. ad fol. 586.* Goldingæ habitæ, perspicué loquuntur, Ecclesiastem illius temporis affirmavisse, se Officium suum Nobilitati præstare, atquè Civitatem affirmavisse, dictum Ecclesiastem, non à Civibus, sed à Duce Nobilitatequè institutum esse.

Exinde in Visitatione Ecclesiastica de Die 21 Mensis Martii Anno 1624. *à fol. 586. ad fol. 589.* pro extruendo organo, sustentationequè organarii tributa in Nobilitatem laudata, quodquè quodlibet prædium Nobilitare pro ipso contribuere debèát constitutum; Et in eadem Visitatione de Die 22 Mensis Ejusdem *à fol. 579. ad fol. 583.* novæ dispartiones ad strùéndum templum Letticum in Nobilitatem Districtûs Goldingensis, Civitate nullatenùs adhibitâ, descriptæ sunt.

Et Recessus Visitationis 1650. Die 7ma Mensis Augusti editus. *fol. 591.* sancit, ut Parochiani de instauratione templi Germanici Goldingensis in ruinam proni, hujusquè refectione sivè inter se convenirent, sivè ad exemplar aliarum Ecclesiarum in hisce Ducatibus, Illustrissimo Duci de refectione ædis adornandæ supplices fierent, nec ad hanc Visitationem Civitas adhibita fuit.

Quinimò Acta Visitationis de Die 17ma Mensis Augusti Anni 1673. docent *à fol. 591. ad fol. 595.* hunc dictum Actum Visitationis, itidem non adscitâ Civitate, sivè Civibûs Goldingensibûs habitum, atquè absolutum fuisse, Magistratu verùm Senioribûsquè Civitatis intercedentibûs in Visitatione pronuntiatum: quòd protestatio, atquè petitum Magistratûs Goldingensis

neutiquàm admitti posset, cum ex præcedaneis Actis Visitationis non apparet, ad Visitationem sivè revisionem unquam quendam ex Magistratu adscitum esse.

Accedit paritèr quod & hoc sæculo 18vo contributiones pro sustentatione Parochi Lettici Nobiolitas annuatim facit, edocente inventario Anni 1740. in Actis *fol. 494.* & edocentibûs Libris Ecclesiæ Goldingensis *fol. 607.*

Hæ è tabulis publicis deprompta probationes abundè confirmant, Illustrissimum Ducem, Nobilesquè Districtûs Goldingensis solùm Fundatores atquè Dotatores, Nobilesquè dictæ Ecclesiæ Goldingensis compatronos esse, atquè Jure compatronatûs gaudere, quod vetustum ejus, Jus patronatûs, atquè compatronatûs, æquè formula Regiminis Nobilitati Curlandiæ, atquè Semigalliæ, ac aliæ leges patriæ vindicant, quippe Laudum publicum Die 23tiâ Xbris Anno 1618. conditum, adductum excitatæ formulæ Regiminis Jus compatronatûs Nobilitati soli integrum præstat.

Quod punctum Laudi publici decisione Commissoriali Anni 1642. sic confirmatur, ut Nobilibûs Districtûs, sivè indigenis Diæcesis de persona vocandi Candidati dissentientibûs, Illustrissimus Dux cum suis Consiliariis rem definiat.

Pari modo in Laudo publico de anno 1684. §. 1mo ratione Juris compatronatûs expressè disponitur: Ut vacante munere Ecclesiastæ ad templum, quod habet plures compatronos, præter Illustrissimum Ducem, ceu Patronum, Indigenæ illius Districtûs, ceu compatroni Jure suffragandi binis personis, èásquè præsentandi gaudeant.

Et §. 4to. modò allegati Laudi ob Jus Patronatûs, soli Nobilitati competens disponitur: Ut templorum Visitationibus præter Visitatores, Capitaneùm majorem sivè minorem Superintendentem, sivè Præpositum, unus vel plures Patroni Districtûs intersint.

Porrò in decisionibus Commissorialibus anni 1717. §. 24. Nobilitas circà Jura Patronatûs conservata, & quàmvis ibidèm Juris Patronatûs Civitatum mentio fit, per se tamèn patet, sub èó illas tantummodó intelligi posse Civitates, quæ ut e: g: Civitas Libaviensis Jus Patronatûs vel generatim sola, vel uti e: g: Civitas Mitaviensis intuitu Diaconi Germanici, illud pro parte sibi soli haberet.

In specie autèm non probat Civitas Goldingensis sibi competere Jus compatronatûs, prout probat in specie Nobilitas, igitur ad Jura Civitatum generalia confugere nequit, cum quævis specialitas derogat generalitati.

Probato igitur Jure compatronatûs Nobilitatis ad Ecclesiam Parochialem Goldingensem, atquè deficiente omni probatione solidâ à parte Civitatis Goldingæ, Quod ipsi privilegium à Magistris Ordinis, aut ab horum Successoribus, qui abdicato Ordine ad sæculum transierunt, de Jure compatronatûs legitimè obtinùérint, sivè originalitèr Ecclesiam Goldingensem fundave-

daverint, atquè dotaverint, factæ demùm, vetuſtiori Jure quæſito Nobilitatis, refectiones ædis, erogationes in perſonas Eccleſiaſticas, harumquè inſtitutiones (de quibus modò non eſt quæſtio cùm promoveátur Actio petitorii non poſſeſſorii;) Jus Patronatûs Goldingenſe à vetuſtis temporibus Nobilitati ſoli collatum minuere, ac Nobiles ad ejus communicationem cum Civitate Goldingenſi adigere nequèúnt, dum Paræciani ad præſtationes quaſdam æquitate obligantur, nec indè ſingulare Jus in Eccleſiam acquirant.

Exhibuit quidèm Civitas Goldinga duo puncta binòrum Privilegiorum, quorum altero in Actis *fol. 530.* à Magiſtro Ordinis Arnoldo de Vietinghoff datum habetur, ut in cæmeterio, quod in illis literis Goldingenſe vocatur, criminoſi ſeu cædis rei Jure aſyli gaudèánt: altero in Actis *fol. 531.* à Magiſtro Ordinis Jòánne Wolthuſem von Harze Anno 1470. datum ſancitur: Ut extructurus ædificia in areis Eccleſiæ Parochiali Goldingenſi collatis, de pretio illarum in commodum illius Eccleſiæ cum Commendatore, Curatore Eccleſiæ, Magiſtratuquè paciſcatur.

Sed literæ illæ beneficiariæ (dato èárum Authenticas exhiberi poſſe) pro Civitate cardinem rei nullatenus probant, multò magis ex Arnoldi de Vietinghoff literis apparet, illo tempore cæmeterium tantùm, atquè minimè templum Goldingæ fuiſſe, ſiquidem Jura communia Eccleſiis generatim locum aſyli præbent, nec criminoſos indè eductos puniri patiuntur; cum igitur templo non extante, Jus cæmeterii dubium redderetur, Jus aſyli ſigillatim cæmeterio conceſſum eſſe videtur, ex tutela vero conceſſa, qui ad cæmeterium confugiunt, concludi nequit, Civitati Goldingenſi Jus compatronatûs in Eccleſiam Goldingenſem collatum eſſe.

Nec permiſſa alienatio locorum vacùórum Eccleſiæ à Magiſtro Ordinis Joanne Wolthuſem von Harze adſcito Magiſtratû ad conſtituendum èórum æquum pretium, Civitati Jus compatronatûs (de quo eſt altum ſilentium) confert, nequè noſtrum eſt dicere, quidquid tabulæ exhibitæ non loquuntur.

Non eſt in hiſce literis determinata competentia Juris compatronatûs, propter Civitatem, ſi quæ foret, jam illa Eccleſia nec fundus ipſius exiſtit, ubinam etenim Summa & proventus ab ipſa pro illis venditis areis favore Eccleſiæ vel Parochi ipſius, horum nihil, quin ſatiùs nova Eccleſia de anno 1567. per Nobilitatem fundata, ſufficienterquè dotata, nec in fundo Civili, ſed in fundo à Duce deſignato conſiſtit.

Provocat quoquè Civitas Goldinga ad inſignia ſua in ſuperiori parte valvarum ædis Goldingenſis depicta, in quibus magnum præſidium ſe invenire exiſtimat, tantùm verò abeſt, ut hæc pictura cauſam ejus ſuffulciat, undè nam notum eſt, quod hoc inſigne Civitas pinxerit, ut potius cuivis privato licitum ſit publica ædificia picturis aliisvè ornamentis exornare, & quemadmodum hæ res picturis ornamentiſquè non cedunt, ita picta inſignia Civitati Goldingenſi Jus compatronatûs (quod ſoli Nobilitati collatum eſt) nullatenus tribuit.

Multominùs ob concessum Jus Rigense pari prerogativâ cum Nobilitate in eligendis præsentandisquè Ecclesiastis gaudent, quippè Jura Ecclesiastica (quæ Rigenses habent) Goldingæ data esse, planè probari nequit, omnisquè concessio Juris ita intelligenda, prout usus ejus habetur, atquè haberi potest.

Civitas Goldinga non probavit nequè probare potest, fundationem atquè erectionem Ecclesiæ à se descendere, quæ ipsi tribuant Jus Patronatûs juxta Jus Canonicum can: piæ mentis ibiquè Glossa *fol. 1166.* Cumquè indoles rerum Rigensium à conditione Civitatis Goldingensis planè differant, nullatenus ritè à disparibus infertur conclusio, memoratæ Civitati Goldingæ esse Jus compatronatûs ad Ecclesiam, quam originaliter Dominus ditionis Nobilitasquè fundavit, atquè dotavit. Quare nequè Pacta subjectionis nequè Religionis cautiones illud Jus, quo Civitas caruit, atquè caret, roborant, nec quidquam absquè relato confirmant.

Acta quidem exhibita per Civitatem Goldinga testantur, sed tamem circa finem præcedentis sæculi, hocquè sæculo 18vo. demùm Civitatem dictam inhöavisse varios Actus exercere, quibûs Jus compatronatûs in præjudicium Nobilitatis Districtûs Goldingensis sibi arrogavit, sed tempora turbulenta, atquè calamitosa, aliaquè impedimenta, quibûs Nobilitas, ac ipsorum prædia afflicta fùerunt, non permisêre, ut his intrusionibus extemplò, medela afferri potùerit, nihilominus Jus Nobilitatis, in præcitato recessu Rigensi, formula Regiminis, Laudis publicis, ac Visitationibus Ecclesiasticis vetustis, recentioribusquè fundatum tanto magis in tuto perstitit, quantò minus negari potest, probato Jure vetusto, ejusquè legitimâ aquisitione, omnes innovationes, atquè intrusiones abrogari.

Nec ipsis inde à Civitate Goldingensi color induci valet, quod quasdam præstationes, fundatâ, dotatâquè Ecclesiâ, radicatoquè Jure compatronatûs, subiit, siquidem his collectis æque parum Juris illi Civitati, ac Suburbiis ad arces atquè præfecturas sitis, ad structuram refectionemquè templorum, collatis contributionibûs accrescit, cui enim in mentem venit statuere, Suburbicarios dictis contributionibus Jus compatronatûs obtinere, cum ea ceu Paræciani præstent, fundiquè ad ædem, parochialem domum, atquè culturam destinati pars ditionis sint, & donum aliquod post consecrationem Ecclesiæ non facit Patronum illius. Can: piæ mentis & Glossa cap: quoniam: verbo Fundatores.


Parum quoquè prodest, quod Civitas & Concuratorem Ecclesiæ se se fecisset, factum namquè hoc tempore turbulento, factum quod Civitas de facili, uti in uno loco, ingerere se se potuit, factum tandem contrà Jus Nobilitatis, quòd illico Nobilitas reclamabat, ut sunt manifestationes & arresta Nobilitatis de anno 1685. *à fol. 596. ad fol. 605.*

Ex facilitate per Civitatem attendentiæ Ecclesiæ non consurgit Jus Patronatûs, quia par ratio adesset, ut Parochus absquè præsentatione instituatur, propter hoc, quod ipsum Nobilitas ad consilia admittebat, ut est in visitatione anni 1624. in Actis *fol. 590.* quod absquè in spectatione Parochi proventus Ecclesiastici non distribuantur, de Præcentore Parochus pro-

videat, ut est in visitatione 1650. in Actis *fol. 550.* & in visitatione anni 1673. in Actis *fol. 554.* quisnam tamen concluderet per has aliquantisper Parocho attributas prærogativas, ipsum absolutum ac independentem esse debere.

Ac proinde cum expræmissis constat de illegalitate Decreti Judicii Aulici Ducalis Curlandiæ, Nobilitas Districtûs Goldingensis rectè supplicat.

Decidendo appellationem ordinariam à Decreto Judicii Aulici Ducalis Curlandiæ die 16ta Mensis Januarii Anno 1773. publicato, ad Judicia Serenissimæ Majestatis Vestræ Relationum propriarum interpositam, & admissam, tùm adcitationem ex parte Nobilitatis Districtûs Goldingensis Civitati Goldingæ extraditam, experimentum de legalitate dicti Decreti injungi, in experimento: cum probatum sit, Illustrissimo olim Gotthardo gloriosæ memoriæ Duci, Generosæquè Nobilitati Ducatuum Curlandiæ atque Semigalliæ structuram ædis religioni dicatæ, ejusquè Dotationem curæ fuisse, illamquè fundâsse atque dotâsse, nec Civitatem, Civesquè ad ejus fundationem atque dotationem originaliter adscitos esse, Jusque compatronatûs Nobilitati dumtaxat Recessu Rigensi de anno 1567. Formulæ Regiminis, Laudîs publicîs, veteribus decisionibus Commissorialibûs, Visitationibûsquè Ecclesiasticîs (Magistratu Civibûsquè Goldingensibûs exclusîs;) collatum datum esse, atque competere, Civitas autem nullatenùs idoneis testimoniis docùërit, Ipsam ad originalem fundationem, dotationemquè ædis Goldingensis aliquam partem contulisse, sivè adhibitam fuisse, nequè literas de concesso Jure compatronatûs exhibuerit, nec titulum prætensi Juris compatronatûs habèât; Quapropter retractatâ sententiâ Judicii Aulici Ducalis Curlandiæ, ipsammet nominis Nobilitatem Districtûs Goldingensis circa Jus compatronatûs Ecclesiæ Letticæ Goldingensis conservari & manuteneri, intrusionem sæpius dictæ Civitatis Goldingæ in Jus compatronatûs Ecclesiæ Goldingensis Germano-Letticæ illegitimam declarari, electionem, præsentationemquè specialis Candidati vacante munere Ecclesiasticæ sive Parochi, Ecclesiasticæ introductionem, Sessionemquè in Visitationibus interdici, ac inhiberi, æquale Jus cum Nobilitate Civitatem non habere adinveniri, èândemquè Civitatem in damnis & litis expensis condemnari.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0025902

